



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus II. De Calumniatoribus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

torio quandoque confunditur *Publicum*, quamvis subinde publicum sumatur pro *Famoso*, quod nempe ita manifestum est, ut de eo jam existeretur. His omnibus opponitur *Occultum*, quod ita lateat, ut nec duobus pateat, & in foro externo probari nequeat, vocatur *simpliciter* & *proprie occultum*, de quo solus DEUS judicat. In Novissima cessat Ordo Judiciarius, & necessitas probandi. *c. 3. de testib. cog.*

## TITULUS II.

## De Calumniatoribus.

## SUMMARIUM.

1. Quid sit calumniari: *prævaricari*: & *tergiversari*.
2. 3. Quæ sit poena Calumniatoris, *Prævaricatoris*.

I **C**alumniari propriè (in criminalibus) dicitur, qui alteri crimen falsum dolose in Judicio intendit. *l. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turpill. h. e.* proponit, impingit, objicit sive accusando sive denuntiando. Si id agit scienter & dolò verò, calumnia vera: si dolò præsumptum (si nempe in probatione deficiat) calumnia præsumpta vocatur. Vicina est *Prævaricatio*, quam committit, qui cum Reo colludit, verum crimen abscondendo, veras probationes dissimulando, & falsas exceptiones admittendo, ut Reus absolvetur. *l. 1. c. 6.* Et *Tergiversatio*, quando quis accepta accusatione desistit citra abolitionem, quæ

accusatus ex numero Reorum publica auctoritate  
eximitur. *arg. d. l. 1. §. 7.*

Dico 1. Pœna calumniatoris veri (imò & præ-  
sumpti, nisi probaverit, se dolò caruisse) est 1. In-  
famia, sed post condemnationem. 2. Condemna-  
tio in expensas & omne damnum alteri ex ca-  
lumnia ortum. 3. *Talio*: sed hæc pœna in defue-  
rüdinem abiit, & successit. 4. Pœna gravis arbitra-  
ria, v. g. pecuniaria, carcer, verbera &c. juxta de-  
licti & personarum qualitatem. 5. Si Clericus  
contra Clericum calumniatus est, privatio bene-  
ficii ac officii Ecclesiastici cum exilio. Cõmunis ex  
*l. 4. §. 4. ff. de his, qui not. infam. l. 5. C. de fruct.  
& lit. expens. l. fin. C. h. t. cum Const. Pœnal. Caro-  
li V. art. 12. c. 1. h. t.* A calumnia præsumpta li-  
beratur, consequenter & à pœna, qui delictum  
alteri impactum saltem semiplenè probat, vel pro-  
bat, se audivisse à viris fide dignis, aut à testibus  
se deceptum. Imò certæ personæ, licèt deficiant  
in probatione, præsumuntur non calumniosè ac-  
cusasse vel denunciassè, quamdiu dolus non pro-  
batur, modò aliqua delicti indicia ostendant, uti  
filius persequens necem parentum, & vicissim,  
femina suam aut suorum injuriam persequens,  
maritus intra 60. dies accusans uxorem de adulte-  
rio, deferens crimen Reipublicæ valde pernicio-  
sum, denuncians vi officii, ut procurator Fisci, cu-  
stos, vigil &c. Debet tamen etiam apud has per-  
sonas Judex inquirere ex officio, utrùm non sint  
veri calumniatores.

Dico 2. Pœna Prævaricatoris est infamia con-  
demnatione prævia. *l. 4. cit.* & simul arbitraria  
alia. Tergiversatoris autem præter infamiam

multa 5. librarum auri. l. 3. inf. ff. de Praem-  
 catione. Hodie tamen arbitraria, imò nulla; cum  
 Judex teneatur ex officio novum Inquisitionis  
 Processum instituire.

## TITULUS III.

*De Simonia, & ne aliquid pro spi-  
 ritualibus exigatur vel promit-  
 tatur.*

## SUMMARIUM.

1. 2. Quid, & quotuplex sit Simonia.
3. Merx illius est res spiritualis.
4. Ex quibus titulis possit dari & accipi tempora-  
 pro spirituali licitè.
5. Mercis locum etiam obtinent res spirituali  
 nexa.
6. 7. An, & quando res consecrata vel benedicta  
 vendi possint.
8. Beneficia Ecclesiastica, Decima &c. sine Simo-  
 nia Juris Naturalis.
9. Pretium Simoniacum quid & quotuplex.
10. 11. 12. Quale debeat intervenire Pactum,  
 committatur Simonia. An tale sit promissum  
 gratitudinis: vel, si temporale habeat ratio-  
 nem motivi, vel finis, vel compensationis gra-  
 tuita respectu spiritualis.
13. An Pactum, si fictum sit, constituat Simoni-  
 am.
14. 15. Quando committatur Simonia in Promis-  
 sione Beneficiorum. Ubi de Simonia Confessio-  
 nali.